



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. 5. De divortio conjugalis vinculi converso uno infidelium conjugum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

batur. An autem ex hoc facto rectè colligatur, illud æquivalere statuto Papæ, ut Papæ, non omnes affirmabunt eâ certitudine, quam volunt oppositi.

1648. His addi potest notissima controversia: *an Religiosus super solemnî voto castitatis, saltem ex causa publica dispensari valeat?* nam licet sint relationes plurium fidei dignorum affirmantium, sic dispensatum esse à summo Pontifice; negativam tamen sequitur D. Thomas 2. 2. qu. 88. novissimè Cardinal. Capisuechus *Controvers. 11. de vot. solemn. q. unic. per totum, signanter pag. 270. vers. rejecta igitur*, dicens: quòd cum ea (nimirum sententiâ negante) *transcunt communiter Thomistæ, qui in hac re Thomistarum nomine digni sunt; post quæ addit: Et procul dubio non solum sanior est, Et certior opinio Sc. cuius doctrinam, Magistralem, Cardinalis Albitius, latè ac doctè defensam, affirmat Vincentius de Justis de dispens. matrim. l. 3. c. 15. in appendice subnexa à num. 2. nec propterea Divo Thomæ, & sequacibus rectè obijciatur, illud absurdissimum illatum à Dianæ argumento, quòd Divus Thomas, & sequaces ejus, negantes Pontifici potestatem dispensandi ad matrimonium in voto solemnî castitatis, negent Pontifici infallibilem assistentiam Spiritûs Sancti in materia Sacramentorum?* his præmissis:

1649. Resp. non esse meæ mentis hic, de alterutra contradicentium parte quidquam asserere; sed utramque solùm à me relatam, ut utriusque partis fundamenta speculativæ duntaxat considerationi aliorum proponerem; qui cæteroquin pro Reverentia, & potestate summorum Pontificum asserenda, spectatâ praxi, præsertim ex tam frequenti usu ejus, prout allegatur, omnino standum judico; & S. Matris Ecclesiæ judicio me penitus submitto.

§. 5.

De divortio conjugalis vinculi converso uno infidelium conjugum.

1650. Etsi legitima infidelium matrimonia non sint indissolubilia jure naturali, sed solùm positivo divino, atque adeò nullo

jure humano, dissolvi tamen posse ex revelatione divina in certis casibus matrimonia eorum, etiam in infidelitate contracta, & consummata, ex sequentibus constabit. Nam si cum uno infidelium, ad veram fidem converso, alter conjugum nec physicè, nec moraliter pacificè vivere, ac permanere velit, conversus licitè, ac validè ab illo recedit, & aliud matrimonium cum fidei celebrare potest, ut dictum est à num. 752. matrimonium tamen illud, quod inter ipsum, & alterum remanentem in perfidia celebratum fuit, non solvitur ipso facto secutæ in uno conversionis, ut quidam volunt; sed primò per novum cum fidei contractum, secundùm dicta à num. 755. Not. tamen ex num. 757. conversum ab infidelitate tam diu manere ligatum vinculo prioris matrimonii ante conversionem legitimè initii cum infidei, quàm diu iste ab illo non recedit, vel physicè, vel moraliter juxta expositionem in num. 752. & conversus aliud matrimonium celebret cum fidei ex num. 755. *Et seq. ubi plurima dedimus ad hanc materiam spectantia; v. g. an infidelis conversus, altero recitante illi pacificè cohabitare, licitè assumat sacros ordines?* de quo V. num. 757. an eorum matrimonium solvatur professione religiosâ? an post conversionem separandi sint, si tempore infidelitatis contraxerunt in gradu prohibito? &c. de quibus egimus à num. 749.

§. 6.

De divortio quoad conjugale vinculum per libellum Repudii?

Repudium descripsimus num. 744. olim in lege veteri, fuisse in usu, DEI permisso, dictum est num. 745. *Et seq. in lege autem Evangelica repudium omnino sublatum esse per Christum, etiam causâ fornicationis, à num. 745. quare omnino certum est, libellum repudii, consequenter divortium quoad conjugale vinculum, sine dispensatione divina, etiam ex causâ fornicationis, seu adulterii, per unum ex legitimè conjugatis commissi, non modo illicitum, sed etiam invalidum esse lege divinâ, prout loco cit. ostensum est. Hinc qui Uxorem legitimè ductam, di-*